Nolo te iam esse solicitum pro filia tua Eufrosina Ego enim sum illa misera: et tu pater meus Pafuncius Ecce iam vidisti me et satis factum est tibi: sed nemo hoc sciat et non permittas corpus meum ab aliquo nudari et lauari sed per temetipsum hoc facias. Et quia promisi abbati habere me multas possessiones· et si potuissem sustinere et perdurare in loco isto adducere huc· imple ergo quod promisi et ora pro me Hec dicens tradidit spiritum· Dum audisset Pafuntius talia verba et vidisset quod obdormiuit commota sunt omnia viscera eius: cecidit in terram et factus est velut mortuus· Accurrens autem Agapitus vt vidit quod defunctus est Smaragdus et Pafuntium iacentem in terra semiviuum iactauit aquam in faciem eius et eleuauit eum dicens Quid habes domine mi: Ait autem Pafuntius Dimitte me vt hic moriar Vidi enim mirabilia hodie Surgens autem irruit in faciem eius: et multitudinem lacrimarum fundens clamabat Heu me filia dulcissima quare antea non manifestasti te mihi: vt ego quoque commorer tecum sponttanea voluntate: Ve mihi quomodo latuisti: Quo pertransisti insidias aduersariorum et nequitias spirituales tenebrarum vite huius: et introisti in vitam eternam Hec audiens Agapitus et cognoscens tam mirabilem rem stupefactus est· et currens nunciauit abbati Veniens autem abbas cecidit super eam: et eiulans dicebat Eufrosina sponsa christi et filia sanctorum ne obliuiscaris conseruorum tuorum et huius monasterii: sed ora pro nobis ad dominum nostrum Jhesum christum vt faciat nos viriliter certando peruenire ad portum salutis et portionem habere secum et cum sanctis suis Et iussit vt congregarentur omnes fratres vt honore debito secundum corpus illius sepulture traderetur Dum autem omnes adessent et vidissent tam stupendum miraculum glorificabant deum qui etiam in femineo sexu et in fragili tanta miracula operatur Quidam autem frater vnum habens oculum osculabatur vultum eius cum lacrimis Statimque vt eam tetigit oculus ei restitutus est Et videntes omnes fratres qui aderant quod factum est benedixerunt deo: gratias agentes deo cuius sunt omnia que bona sunt/ Multumque confortati: et edificati sepelierunt eam in monumento patrum Pater vero eius quod habuit ad ecclesiam et ad xenodochia et ad monasteria offerens· conuersatus est in eodem monasterio plurimam partem substantie sue ibidem offerens in eodemque presbiterio dormiens in quo Eufrosina Vixit autem in sancto proposito annos· x· et migrauit ad dominum sepultusque est iuxta filiam Dies autem migrationis eorum ad dominum celebrantur in eodem monasterio vsque ad presentem diem: glorificantes deum patrem et filium eius Jhesum christum vna cum sancto spiritu in sempiterna secula· Amen·

Explicit liber quintus de vitis sanctorum patrum·:·

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-135/0319
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG